benevolentiâ vestrâ, adeste universi, adeste singuli, et auscultate, eâ quâ par ē aurium patientiâ. Faxo utiq; ut intelligatis, Vitam et ipsius B. Vechneri verè Mimum s. fabulam fuisse.

Miramini fortè Audit: Oĩum ordinum ac Dignitatum honoratissimi, unde mihi infimæ caveæ homini, homini in dicendi arte nondum exercitato, tantum sit natum confidentiæ, tantum audaciæ, tantum temeritatis, ut post disertissimos aeq; ac longe eruditiores viros, quos sirens stupet seculum verba facere[F], in hoc vestro splendidissimo consessu non erubescam? Nolite mirari: Nefas n. esse duxi, et commissi cujusdam sacrilegij religionem, veritus sum, jacturam gravissimam, fidelissimi quondam Praeceptoris mei silentio præterire, si jactura dicenda ē tanti Viri amissio: Amiserunt sane Musæ Præsidem, Amiserunt Promotorem Altorem, Fautorem, in summa, recentiss. lore tirum, vereor, ne posthac sine tali Præside vivant. Lessum ergo, q Gratijs et Musis sacrafacio cur non pangerem? non equidem me fugit, quanto inferius sit ingenium meum Romanis, siquidem Latinè ac diserte fari jam inde ab incunabilis illis ingeneratum, mihi elaboratum. Et siquid pro ætatis modulo commodè dico, ex Romanorũ fonte et Tulliano facundiæ capite, imitatio mea (an ingenua sit, valde vereor) derivat. Sed utut mihi infirmitatis ingenitæ et inchoati potius studij quam eruditi, probe sim conscius, cohibere tn̄ me silentio hautquaquam possum, quo minus aliquid coner effari, ut inter tot tantosq; sonitus disertissimorũ Virorũ mea quoq;, quamvis admodum tenuis et exilis vox, exaudiatur. Etenim, si in rebus bellicis ipsius plus non solum tubæ, sed etiam Spartanæ tibiæ stimulum in aures excitabant, cur ego desisterem et sermonem meum non studio potius, V. A. quam suis viribus demetirer. Quum sint duæ mihi, qs cortinæ aperiant hoc in mũdi theatro, quarũ una intrantium, altera exeuntium, una vitæ altera mortis, unâ, quâ nascendo vitæ fabulam ordimur, altera, quâ moriendo eandem absolvimus, brevissimis me expediam et hoc quod in limine proposui, repetam. Vita humana verè Mimus ē. Agite a. excutiamus heic primô locô vocem, ejusq; notationem, ut definitio, s. descriptio qdam fiat nominis. Est sane Mimus nihil aliud, quam Gesticulator et imitator dictorum morumq; horum, intra l. extra scenam, ā μιμεῖσθαι h. e. imitando dictus, eo quod imitetur alios, Talis quondam Roscius comicus erat. Mimus inquam, erat, ut oĩum primus et peritissimus, ita et notissimus in Latio, qui gestus quippe aliorum tam solerter exprimere norat, ut si quempiam Mimorũ in arte suâ perfectum velimus dicere, eum alterum Roscium in scena esse dicamus. Est et Mimus Poëma quodvis, sermonis actionis ita imitans, ut ridiculum, interprete Magno Scaligero faciat. Præterea Mimis lasciviam non sine sale tribuunt Duumviri illi raræ Eloquentiæ pariterq; doctrinæ Macrobius ac Diomedes, quos amplissima Plutarchi censura distinguit in argumenta et ludicra, argumenta à convivijs scite et aptè removens, quod horũ actio nimis longa sit et sumptuosa. Quia v. in Mimis istis, uti in alijs fabulis facta oĩa erant et assimulata, ita ad alias etiam res, translata vox habetur, quæ plus speciei ac simulationis habent, quam veritatis. Quo et ipso sensu Mimum vitæ, recte meô judiciô et cogitate Octavianus Augustus Augustissimus Imperatorum dixit. Quid? nonne vitæ Senecæ verbis, quomodo fabula? Non quamdiu, sed quam bene acta sit refert. Nihil ad rem pertinet, quô locô desinas, quocunq; voles desine. Tantum bonam clausulam impone. O quam scite et apposite dixisti mi Seneca! Nihil enim utilius, nihil salutarius q totum vitæ suæ Mimum agere unq potest hoc,

F de humana vitæ fabula,

SLUB
Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet Wrocławski